

dent in Coordinato eius opere tom. 1. trañ. 1. resol. 96.
 17 97. & 98. in quibus tamen advertit, quod baptizans semper contrahit Cognationem, sive solemniter, sive privatè detur Baptismus. Quod si puer baptizatus fit domi in casu necessitatis, & esset dubium circa bene prolata Verba Baptismi, iterumque baptizaretur sub conditione in Ecclesia; tunc suscipiens contraheret Spiritualem Cognationem. Sanchez d. libr. 7. disp. 62. num. 6. Bonacina quæst. 2. de Matrimon. p. 1. s. 2. num. 10. Jusus d. libr. 2. cap. 5. num. 42. & Salmanticenses dicit. trañat. 9. de Matrim. cap. 12. num. 32.
 Quartum requisitum est, quod Patris puerum teneant, quando Aqua Baptismi ei infunditur, vel unguis Cbrismate Sacro, vel ex Fonte levant, si per immersionem detur Baptismus, statim ac baptizatus est, ut habetur in cap. Omnes. 23. quæst. 12. & propterea sola assistentia Patris non sufficit, sed debet puerum vel tenere, vel tactu physico tangere, dum aqua Baptismi infunditur; quod servant Parochi in hac Diocesi Patavina; ubi enim puer tenetur à femina in Catechismo, & à Viro ad Fontem, cum ablendas est puer, vocatur femina Matrina à Parocho, & jubetur manum ponere super humeros pueri, vel puellæ, quæ baptizatur; ut sic contrahat & ipsa Matrina Cognationem; aliàs per tenentem ad Januam Ecclesiæ, vel per solam præsentiam ad Fontem; illam non contraheret. Sanchez d. libr. 7. disp. 56. Bonacina d. quæst. 3. p. 5. s. 2. num. 15. Salmanticenses d. cap. 12. num. 21. qui addunt, hos Patris habere debere intentionem verè fungi Patris officio, vel saltem, quod intendant facere id, quod præcipit Ecclesia. Sanchez lib. 7. disp. 58. & Jusus d. libr. 2. cap. 5. num. 42. & 55.
 Quintum requisitum est ad contrahendam Spiritualem Cognationem, ne Patris ab hoc officio sint de Jure prohibiti; si enim prohibeantur, & de facto puerum suscipiant, peccant mortaliter, & nullam contrahunt cognationem. Sunt autem de Jure prohibiti, Primò muti, ac infantes, non habentes usum rationis. cap. Periculi. 79. de Consecr. dist. 4. Quod si ratione polleant, etsi minores sint, ætate quam baptizandus, vel confirmandus, nihil impedit, quin cum suscipiant, atque cognationem contrahant. cap. Vos ante omnia. ead. de Consecr. dist. 4. Eovin. Card. de Lauræa d. disp. 28. num. 114. Secundò Hæretici, Excommunicati, ac Publici penitentes. Basilii Pontius lib. 6. cap. 37. n. 5. idem Emin. Card. de Lauræa ibid. num. 110. & 111. Tertiò Monachi, Sanctimonialia, ac Regulares Mendicantes quicumque per sex. in cap. 102. & cap. 104. de Consecr. dist. 4. necnon in cap. Placuit. 16. quæst. 1. & in cap. Pervenit ad nos. 18. quæst. 2. Barbosa in collect. ad Concil. Trid. dicit. sess. 24. cap. 12. de Res. Mat. n. 12. ubi DD. cumulat. Et Emin. Card. de Lauræa ead. disp. 28. n. 105. & seqq. Excipiuntur tamen Regulares ad dignitatem Episcopalem, vel Cardinalitiam promoti; hi enim non sunt amplius prohibiti fungi hoc Patris officio. Barbosa ubi sup. numer. 12. & Sanchez in Præcept. Decalogi lib. 6. cap. 6. num. 24. qui referunt exemplum S. Gregorii Magni, à quo non fuit recusatam hoc officium Patris postquam de Religione evedus fuit ad Cardinalatum, tunc enim benigne consentit fieri Compariter Mauriti Imperatoris, ejus filium è fonte suscipiens.
 His requisitis, ut supra firmatis, faciunt DD. ex eis infrascriptis illationes, à studiis notandas, ac menti tenendas, 1. Quod non est admittendus ad officium Patris, nisi unus tantum; vel unus, & una ad summum ex Concil. Trid. d. sess. 24. cap. 2. quod ita Patavi interpretatum est à consuetudine, ac etiam Venetiis, ut prædictus numerus non augeatur ad susceptionem è Fonte; sed ad Januam Ecclesiæ, seu ad Catechisium, in quo impudè numerus

ipse multiplicatur, quia ex Catechismo non contrahitur Cognatio Spiritualis. 2. Nihil referret, quod Patris Vir suscipiat puellam feminam, vel femina teneat ad fontem puerum masculum. 3. Quod Patris designatus à Parentibus potest tenere puerum vel per se immediate, vel per Procuratorem, aut nuncium suum. 4. Licet olim qui fuerat Patris in Baptismo, non possit suscipere eundem filium in Confirmatione. cap. 100. de Consecr. dist. 4. hodie tamen id non servatur ex præcepto, sed tantum ex quadam Episcoporum prudentiali sollicitudine, ut magis consulat utilitati spirituales filiorum. 5. Quod Parentibus non designantibus Patris, vel eos ex genere prohibitorum proponentibus, potest Parochus ex officio eos repellere, & alios ad arbitrium suum eligere, qui puerum suscipiant, & sic suscipientes cognationem spirituales contrahant, ut ostendit Beia in Decif. Casuum par. 2. Cap. 4. 6. Maritus, & Uxor si simul eandem puellam in Baptismo suscipiant inter se cognationem spirituales non contrahunt, attamen ex tali quali reverentia, debita Sacramento, simul ad suscipiendam non sunt admittendi. 7. Filii baptizantur, vel Patris non contrahunt Cognationem spirituales cum ipso baptizato, vel ejus genitoribus; nec etiam Maritus cum puella, quam ejus Uxor suscepit vel in Baptismo, vel in Confirmatione; nec vice versa Uxor cum puero, quem Maritus suscepit. Gobatus trañ. 9. num. 177. Veri. Eva peccavit. 8. Parentes adoptivi non contrahunt Cognationem cum Patris suscipientibus eorum filios adoptivos; nam contrahitur in susceptione filiorum naturalium tantum, etsi illegitimorum. Sanchez lib. 7. disp. 54. num. 16. Reginaldus lib. 31. num. 10. Barbosa alleg. 30. num. 54. 9. Ille, qui puerum deserit baptizandum ad Ecclesiam, nullam contrahit Cognationem, prout declarasse S. Congregationem, testatur Barbosa ad dist. cap. 2. Concil. Trid. sess. 24. num. 37. 10. Ille, qui baptizat, (ut dictum est supra n. 17.) semper contrahit Cognationem spirituales cum baptizato, & parentibus ejus fidelibus, sive sit Clericus, sive sit Laicus, sive Vir, sive Femina, sive baptizet solemniter, sive privatè, quia jura de eadem cognatione loquentia nullum baptizantem excipiunt. Navarrus in Man. cap. 32. num. 40. Veri. Interrogatur. Sanchez lib. 7. disp. 57. num. 10. Jusus d. libr. 2. cap. 5. num. 40. ubi alii; advertens sub n. 43. quod sicut cognatio carnalis ex multiplici gradu augetur, ita hæc spiritualis; quia si alter alterius prolem invicem suscipiant, vel in diversis Sacramentis, nempe Baptismi, & Confirmationis eundem, vel alterum ejusdem personæ filium, quis suscipiat, duplicabitur cognatio; quæ duplicata, casu quo petatur dispensatio Apostolica pro contrahendo Matrimonio, erit exprimens. At non duplicatur cognatio, si ejusdem Patris plures filios quis suscipiat in Baptismo tantum, vel in Confirmatione tantum; ad exemplum consanguinitatis, quæ non duplicatur ex copula repetita pluries cum eadem persona, ut tradunt Garzias de Benef. par. 8. cap. 3. numer. 78. & Pyrrhus Corradus de Dispensat. apostol. lib. 8. cap. 8. num. 16. Omnes supradictas illationes congerit Jusus in d. lib. 2. cap. 5. n. 14. & seqq. ubi Theologos, ac Canonistas de illis differentes plurimos allegat; quibus se conformant Maurus d. disp. 28. art. 6. atque Salmanticenses d. trañ. 9. cap. 12. punct. 2. in occurrence videntur.
 Quò ad Quintum; in quo inquiritur, Quibus personis, ac quantis, bus assiciantur Cognati spirituales, invicem Nuptias inveniunt? Respondetur: Primò, quod si Cognatio spiritualis superveniat post contractum Matrimonium inter Maritum, & Uxorem, quia alteruter teneat ad Fontem proprium filium, vel eum absque necessitate baptizet; in hoc

casu Parens hæc faciens peccat mortaliter, & idem est, si suscipiat illum in Confirmatione. Theaurus de Pavis Eccl. par. 2. Verb. Baptismus cap. 4. in princ. Secundo prædictus Parens amittit jus petendi debitum. c. 2. de Cognat. Spirit. Theaurus d. cap. 4. Veri. Item si; ubi tamen ait, excusari si per ignorantiam, & non ex malitia id fecisset, & multo magis si baptizasset proprium filium in periculo mortis ejusdem filii, in quo nullus alius esset, qui illum baptizaret. Sanchez lib. 9. disp. 26. num. 7. & 9. In casu tamen amissionis Juris petendi debiti, potest Episcopus super hoc dispensare, ut non obstantem Cognationem spirituales inita in supradicta malitiosa, vel susceptione, vel collatione baptismi, conjux possit petere debitum ab alio suo conjuge. Barbosa allegat. 35. num. 8. & Sanchez lib. 8. disp. 12. n. 15. Tertiò si post contractum Cognationem spirituales baptizans, vel Patris de facto contraheret Matrimonium, vel cum filia baptizata, vel cum ejus Matre; aut Pater baptizatus cum Matrina, quæ eundem filium levaverat; hi omnes incurrunt excommunicationem tum vigore antiquorum Canonum, ut dictum est sup. num. 5. tum ex Clem. 1. de Consanguin. & Affinitat. quia sub nomine Consanguinitatis, & Affinitatis naturalis venit etiam Cognatio spiritualis, & Legalis, & in his omnibus cognationibus committitur incestus, ac nuptiæ inter eosdem cognatos spirituales, atque legales sunt incestuosæ. Matrus in Theol. Moral. disp. 11. num. 122. & seqq. Scio contrarium opinari Basilium Pontium lib. 7. cap. 41. in fin. & Jusus d. libr. 2. cap. 6. num. 38. ea ratione quia pœna vitæ restringendæ, sed ego non acquiesco, quia frustra esset inductum ab Ecclesia hoc impedimentum, nisi huic pœnæ subjaceret. Quarto prædicti inter se nubentes incurrunt pœnam infamiam. cap. Consanguineorum. 3. quæst. 4. cap. Injames. 6. quæst. 1. Quintò si nascatur filii, sunt Spiritus, & illegitimi. cap. 1. 35. quæst. 7. Sextò si petatur dispensatio à Summo Pontifice super hoc impedimento Cognationis spiritualis, etsi non sit difficile eam obtinere ob justam causam inter Comparentem, & Commatrem. Jusus d. lib. 2. cap. 5. n. 72. tamen inter Patrem, & Filium spirituales, vel inter Matrem spirituales, & Filium ab ea è Fonte susceptum dispensatio omnino denegatur, ob maximam irreverentiam Sacramenti, ut ait Sanchez lib. 8. disp. 24. num. 15. testans, se nunquam audisse, aut legisse, quod fuerit super Paternitate Cognationis spiritualis dispensatum; idemque scribit Majorius de Irregularitat. cap. 39. num. 3. & Donatus Antonius de Marinis Resol. Quotid. lib. 1. cap. 96. n. 18. Septimò tandem prædicti incestuosas nuptias inire attentantes à Deo graviter puniuntur, ut ex S. Petro Damiano in Trañ. de Mirab. narrat Surius tom. 7. & ex eo Bagatta tom. 2. lib. 6. cap. 1. s. 2. n. 20. his præcisibus verbis:
 Otho rex Teutonicorum, qui postmodum Imperator creatus est Romanorum, Adelaidem Italie Reginam, quæ sibi Commater extiterat, suscepit in Conjugem. Illum filius eius Almisicus, qui Moguntinæ præsidebat Pastor Ecclesiæ, cepit constanter arguere, & sequestum, luridumque conjugium publicè condemnare. Licetque ab eodem multa passus, in carceremque conjecit, Patrem non respicientem excommunicationis gladio ab Ecclesia separavit. Cumque nec ob hoc ab inceptis recederet, cum sic affatus est: Tu arbitris, Pater, me adversum te insolenter agere, te verò præjudicium sustinere; citò prænoces, quia die Sancto Pentecostes uterque simul altibus ante Deum; ibique ventilabitur inter Nos libra iustitiæ lance litigium. Factumque est ipso, qui dictus est, Sacrosanctæ solemnitate die, ut dum Augustus Imperialibus insulis redimitus, multorumque Pontificum choris, sive Procera val-latus agminibus, Missarum solemnissis interesset, re-

pentino super eum veniente judicio, repertus sit mortuus. Episcopus verò in Domino jam quiesce-rat. Hucusque Bagata.
 Huic punitioni consonat, & sequens infelicissimi exitus Matrimonii initi inter Patrem, ac Filium spirituales ex Baptismo (etsi prævia Apostolica dispensatione) quem narrat Basilii Pontius de Matrim. lib. 8. cap. 17. s. 5. n. 28. dicens: Cognovi, quòd Gregorius XIV. dispensavit cum Patre, & Filia spi-rituali; Pater erat nobilissimus Hispanus, & apud Mediolanenses Regius Præses, Filia nomine Ersilia; quorum injustas Nuptias, infaustamque Prolem, vita brevi, forsan veneno extindam, Mediolanenses viderunt. En quanta religione Cognatio spiritualis est servanda. Tandem
 Corollarii loco notandum; quòd negare officium susceptoris, vel susceptricis in Baptismo, vel in Confirmatione, non continet per se, seu ratione objecti ullam culpam. Gobatus trañ. 2. de Baptis. num. 586. 36 ubi reddit rationem dicens, quia ubi Præceptum non est, ibi nec prævaricatio. Rom. 4. Atqui nulla lex divina, vel humana præcipit, ut quis rogatus in Patrum acquiescat petitioni; peccaret tamen si ex fastu, aut superbia, aliove pravo motivo repelleret rogantem. In cujus dicti confirmationem narrat, personam nobili genere natam, quæ renuit tenere ad Fontem prolem pauperis agricolæ, paulò post ob-fessam fuisse à diabolo; qui à Sacerdote exorcismis compulsus abire, & manifestare causam, cur in corpus illud fuerit ingressus? respondit, eò quòd persona illa repudiasset preces russici deposcentis ab ipsa pro filio suo baptizando officium Patris; utique ex fastu, & superbia ob paupertatem supplicans.

DECISIO XXIV. ARGUMENTUM.

Ad intelligentiam Cognationis Legalis, quæ est Impedimentum dirimens Matrimonium, proveniens ex Adoptione, traditur plena, ac perfecta explicatio ipsius Adoptionis. Hæc dividitur in Divinam, & Humanam. Humana subdividitur in perfectam, & in imperfectam; idest in Arrogationem, ac simplicem Adoptionem, atque definitio, differentiarum, & effectus ponuntur utriusque. Historicis, ac Exemplis probatur, Adoptionem esse inventam de Jure Gentium, instauratam de Jure Civili, & approbatam de Jure Canonico pro Impedimento Matrimonium dirimente. Declarantur tres Lineæ, seu species ejusdem Cognationis Legalis, ac quomodo, & quando eadem dirimat Matrimonium? Tandem An Papa dispensec in illa?

SUMMARIUM.

- 1 Cognatio Legalis unde sic dicitur?
- 2 Adoptio vel Divina, vel Humana. Quid sit Divina?
- 3 Abba hebraicè idem est, ac Pater Latinè.
- 4 Justificatio peccatoris quot bona ei tribuat?
- 5 Adoptio Divina quid homini largiatur?
- 6 Adoptionis humane definitio.
- 7 Adoptari nemo potest in Fratrem, vel Patrem. Et cur?
- 8 Adoptio duplex, alia perfecta, alia imperfecta.
- 9 Arrogationis, ac Adoptionis differentie septem.
- 10 Arrogatio in tribus convenit cum Adoptione. Et que?
- 11 Adoptio à quo Jure procedat?

- 12 Moyses Propheta adoptatus à filia Pharaonis.
- 13 Mardocheus adoptatus sibi in filium Esther.
- 14 Alexander Magnus adoptatus in filium à Regina Carie.
- 15 Romani frequentèr adoptione filiorum faciebant.
- 16 Longobardorum in Italia adoptiones filiorum per transfusionem capitis.
- 17 Francorum adoptiones.
- 18 Cognatio Legalis dirimit Matrimonium de Jure Canonico.
- 19 Adoptare, vel Arrogare ut quis possit, novem requisita habere debet.
- 20 S. Mamantis Martyris adoptio.
- 21 Adoptionis imperfecte qui sint effectus?
- 22 Arrogationis, seu Adoptionis perfectæ effectus.
- 23 Adoptati non veniunt sub nomine filiorum, nisi expressè vocati.
- 24 Cognationis Legalis tres lineæ, seu species. Et quæ?
- 25 Cognatio Legalis inter quas personas dirimat Matrimonium?
- 26 Adoptio imperfecta an producat Cognationem Legalem dirimentem Matrimonium? Opiniones duc.
- 27 Cognatio Legalis dirimens oritur etiam ex Adoptione imperfecta.
- 28 Glossæ opinio prævalet opinioni aliorum DD.
- 29 Cognationis Legalis Impedimentum in prima, & tertia specie est perpetuum.
- 30 In secunda tantùm auget, quandùm adoptivi sunt in potestate Patris adoptantis.
- 31 Cognationis Legalis Impedimentum ad quot gradus extendatur?
- 32 Casus particulares prædicte extensionis.
- 33 Papa non dispensat in Cognatione Legalis prime, & tertiae speciei.
- 34 Cognatio Legalis superveniens post Matrimonium non tollit usum ejus.

Tertia Cognatio, quæ impedit Matrimonium contrahendum, & illud dirimit contractum, vocatur Cognatio Legalis, sic dicta quia à Lege inventa est tamquam quædam generationis imitatio ad solatum eorum, qui liberos non habent. *l. Caneum. ff. de Adoptione.* Romani enim antiqui legum conditores, & alii populi solliciti fuerunt, ne quis sine hæredede decederet; ideoque curarunt, ut qui filios naturales habere non poterant, saltem legales haberent. *l. Si Pater. ff. ult. ff. eod. quævis etiam is adoptare possit, qui filios proprios habet. l. 1. §. sextum. ff. de Postulat. Justus de Dispensat. Matrimon. libr. 2. cap. 6. num. 2.* Igitur de hac Cognatione Legalis sex sunt breviter videnda.

- 1 Quid, & Quotplex sit Cognatio Legalis?
 - 2 Ex quo Jure procedat?
 - 3 Qui possint Adoptare? atque Arrogare?
 - 4 Qui sint effectus Adoptionis?
 - 5 Qui sint effectus Arrogationis?
 - 6 Quomodo, & inter quas Personas Cognatio Legalis impediatur, & dirimat Matrimonium?
- Quo ad Primum. Præcipua adoptionis divisio est, in Divinam, & Humanam. Adoptio Divina est justificatio hominis peccatoris, quam obtinet ipse per gratiam Dei justificantem; cujus vi efficitur filius Dei adoptivus, juxta illud Apostoli ad Rom. 8. 15. *Non enim accepistis Spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater.* (nota has duas voces *Abba, & Pater*, idem significare; sed *Abba* est vox hebraica, *Pater* verò Latina; ut Apostolus demonstrat per has duas voces à bonitate Dei recipi in adoptionem filiorum utrumque populum, Judaicum, & Gentilem) ut differit Cornelius à Lapide *ibidem*: qui loquens de hac Divina Adoptione in *Comment. ad Osee* 1. 10. subdit: *Porrò ut hæc Dei Adoptionem*

profundiùs inspiciamus, ambiamus, & suspiciamus, notandum est, in ea non tantum animæ infunditur gratiam, charitatem, aliisque dona Spiritus Sancti, sed etiam ipsum Spiritum Sanctum, qui est primum, & increatum donum, quod Deus donat hominibus. Et profecto declarare hæc Divinam hominum Adoptionem, quæ à Deo fit, addit: Ex dictis sequitur primum, quod iustitia inherens, sed gratia justificans, per quam sanctificamur, & adoptamur in filios Dei, non sit una simplex qualitas, ut quidam imaginantur; sed multa complectatur, scilicet remissionem peccatorum, Fidem, Spem, Charitatem, aliisque dona, ac ipsam Spiritum Sanctum, donorum Authorem (ac consequenter totam Sanctissimam Trinitatem) hæc enim omnia in justificatione injusa accipit homo, ut ait Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 7.

Sequitur secundò, falli eos, qui in justificatione, & adoptione censent dari Spiritum Sanctum duntaxat quoad sua dona, non autem quoad suam substantiam, & personam; contrarium enim docet S. Bonaventura in 1. sent. dist. 14. art. 2. quest. 1. quia tota ostendit, Spiritum Sanctum non tantum in effectu, sed etiam in propria persona, quasi Donum increatum gratis dari, ut sit eorum perfecta possessio. Idem docent Magister sent. lib. 1. dist. 14. & 15. ex S. Augustino, & alii. Idem Scotus, Gabriel, S. Thomas 1. p. q. 43. art. 3. & 6. atque pluribus citatis concludit:

Sequitur tertio, quod Adoptio nostra licet in se una sit, virtute tamen sit duplex. Prior est, quæ adoptatur in filios Dei per charitatem creatam, & gratiam animæ infusam. Hæc enim est summa participatio divine nature. Posterior est, quæ per gratiam adipiscimur ipsum Spiritum Sanctum, cujusque naturam divinam, ac per eum quasi despicimur; & in filios Dei adsciscimur. Porro utraque hæc adoptio hic inchoatur per gratiam; sed in cælo perficitur, & solidabitur per gloriam æternam, quæ hereditatis Dei possessionem recipi nascimur, iaque firmè, & immobiliter, sine ullo timore, vel periculo eam unquam amittendi; Deoque intime amemus, & fruamur per Visionem beatificam; quæ novo modo Deus seipsum substantialiter animæ beatæ communicabit; illique intimè, & suavissimè illabetur, seque insinabit. Hucusque Cornelius à Lapide, cujus verba volui transcribere, ut Studiosus Lector absque labore discat, quid, & quotplex sit Adoptio Divina, ex qua fideles adoptati in filiationem Dei, jus habent ad ejus hereditatem æternam; meliùs quàm adoptati ab hominibus, quibus leges dant jus succedendi in bona Patris adoptantis, ut infra dicemus.

Adoptio humana; illa scilicet, quæ homines adoptant sibi aliquid extraneum in filium, vel nepotem, definitur à Theologis, quod sit Extraneæ personæ in Filium, vel Nepotem, vel deinceps legitima assumptio. Ita S. Thomas in 4. sent. dist. 42. quest. 2. art. 1. Sanchez de Matrim. libr. 7. disp. 63. num. 1. Reginaldus libr. 31. num. 158. Justus de lib. 2. cap. 6. num. 1. ubi advertit, quod nomine extraneæ personæ, hoc casu intelligitur quicumque, etsi sit consanguineus ejusdem adoptantis, dummodò non sit ex ejus descendentiis, & hæredibus, quod etiam notat Layman lib. 11. tract. 10. part. 4. cap. 7. num. 1.

At secundum Juristas definitur Adoptio, ut sit *Alius legitimus, per quem, qui non est, sit Filius, aut Nepos, pene naturam imitans.* *l. 1. ff. de Adopt. Instit. §. Mixtum. eod. tit. Anton. Pichardus in Rubric. Institut. de Adoptivis.* ubi pro explicatione ejusdem definitionis duo notata digni dicit: *Unum*, quod est *Alius legitimus*, quia digni nota: *Alterum*, quod est *personæ, sed eorum Magistratu, vel Principe, apud quos legis adto est. Alterum*, quod per adoptionem quis potest fieri *Filius, vel Nepos*; non autem *Frater, Pater, vel alius cognatus*; siquidem Adoptio, ut dictum est in principio, imitatur generationem naturalem; at per ipsam nullus nascitur pater, vel

frater

frater generantis; sed tantummodò Filius, Nepotè; ideoque si quis adoptaret aliquid sibi in Fratrem, vel Patrem, vel Avum, irrita esset hujusmodi adoptio. *l. Nec opud 7. C. de Hered. Instit.*

Dividitur Adoptio secundum Theologos, ac Juristas in duas species; quarum una dicitur Adoptio imperfecta; alia verò perfecta, quæ aliud nomen sortita est, & vocatur Arrogatio; definiturque proprie, *Ut sit: Alius legitimus, per quem homo sui Juris, & sic qui in se est Paterfamilias, auctoritate Principis, in alterius familiam, ac potestatem cum omnibus bonis suis transt, & ejus filius legitimus efficitur.* Ita Nicolius in *Instit. Civil. libr. 1. tit. 11. num. 4.* Porro septem sunt differentie inter Arrogationem, seu Adoptionem perfectam, atque ipsam Adoptionem simplicem, & imperfectam, quæ refert Reginaldus *d. libr. 31. num. 159.* Prima est in nomine, nam Adoptio perfecta vocatur Arrogatio; imperfecta verò nuncupatur generali nomine Adoptionis. Secunda est, quod in Arrogatione non adoptatur, nisi is, qui est ius Juris, ut dictum est in ejus definitione; per imperfectam adoptatur etiam filiusfamilias, qui est sub alterius potestate. Tertia differentia est, quod perfecta fieri non potest; nisi auctoritate Principis, vel ejus Delegati, cum inquisitione cause, & an expediat, ut quis arrogetur; Imperfecta verò coram inferiori Magistratu peragi potest. Quarta est, quod in Arrogatione requiritur consensus illius, qui est adoptandus, sed in imperfecta, nam etiam infans potest adoptari. Quinta est, quod Arrogatio fieri debet præscriptis Verbis à lege; prout in *l. 2. ff. de Adopt. Imperfecta* verò adoptio quibuscumque verbis fieri poterat. Sexta est, quod in Arrogatione adoptans debet esse sexagenarius, & absque filijs; nisi ex gratia specialis Principis dispenset super juniori ætate. *l. Si paterfamilias. §. penult. ff. de Adopt. Ratio* erat, quia Romani volebant, ut homines potiùs Uxores ducerent, & naturales sibi filios gignerent. In imperfecta verò sufficit illa ætas in adoptante, quæ faciat eum majorem adoptato Annorum decem, & octo. Septima est, quod per Arrogationem adoptans transt in potestatem adoptantis. At non etiam in Adoptione imperfecta, quia filius adoptatus remanet in sua potestate, vel sui ipsius Patris naturalis, si in ea reperitur. Cæterum utraque Adoptio perfecta, ac imperfecta in tribus conveniunt. 1. Quod in utraque sit necessaria presentia adoptantis, & adoptandi, quia per Procuratorem talis actus expleri non potest. *l. Neque. l. Post mortem. §. fin. ff. de Adopt. 2.* Quod adoptatus in utraque succedat adoptanti decedenti ab intestato. *§. Sed hodie. Instit. de Adopt. 3.* Quod in utraque adoptans debet esse Vir, non femina; nisi speciale Privilegium hæc à Principe obtineat. *§. Femine. Instit. eod. tit. etsi tam Vir, quàm Femina possit adoptari. l. Nam & femine. ff. eod. ut latius explicat Reginaldus *d. libr. 31. num. 160.* & Justus *d. lib. 2. cap. 6. à num. 7. & seqq.* ubi alios DD. citat.*

Quo ad Secundum, Cognatio Legalis, quæ per Adoptionem sive perfectam, sive imperfectam gignitur, etsi Jurista doceant, eam procedere ex Jure Civili, ob multas dispositiones legales, quæ circa illam leguntur in Legibus Romanorum; veritè tamen procedit à Jure gentium; quandoquidem Adoptio fuit in usu Annis 1600. circiter ante Christum, idest tempore natiuitatis Moysis, quem Filia Pharaonis septemenni sibi adoptavit in filium, ut legitur *Exod. 2. 10. ibi: Suscepit mulier, & nutriti puerum (Moysen), qui adultumque tradidit Filie Pharaonis, quem illa adoptavit in locum filii, vocavitque nomen ejus Moyses, dicens, quia de aqua tuli eum.* Nec obstat, quod mox diximus, feminis non fuisse licitum adoptare, quia intelligendum est tum ex Legibus Romanorum, qui tunc non erant in

mundo, tum in feminis private conditionis; illa autem erat Filia Regis Ægypti. Item Mardocheus adoptavit Esther sibi in filiam, ut legitur *Esth. 2. 13. 7. ibi: Mortuæque patris ejus, ac matris, Mardocheus sibi eam adoptavit in filiam.* Vivebat autem Mardocheus Anno Mundi 3360. quando vir Romanus ceperat condere Urbem Romæ, ut ex Saliano ad *Annus M. 3302.* apud Assyrios etiam adoptandi antiquissimum fuisse morem tradit Berodius *lib. 5. & Diodor. Sicul. lib. 4.* ubi narrat exemplum. Pariter Adamam Carie Reginam adoptasse filium in filium Alexandrum Magnum; eumque nomen filii non fuisse aspernatum scribit Arianus *lib. 1. de Exposit. Alex. regnasse autem Alexandrum Magnum ante Romanos, nemo est, qui dubitet.* Apud ipsos autem Romanos, postquam potentes facti in Mundo fuere, frequentissimè extiterunt Adoptiones, ut desumitur ex multiplicitate legum de iisdem loquentium; & ex omnibus Historicis rerum Romanarum, quos plurimos allegat Gregor. Tololanus in *Synagmat. Jur. libr. 10. cap. 6. num. 17. & 18.* ita dicens: *Coccius Nerva Cesar M. Ulpium Trajanum adoptavit extraneum à se, moxque in Curia Cesarum designavit, ut ait Xepbilinus ex Dione in Coccio Neræ. Sic Adrianus adoptatus à Traiano post mortem Neræ. Et Adrianus successorem sibi delegit Antonium; sed cum illi nulla virilis stirps foret, Commodi filium adoptavit, adiuventum etiam M. Annio Vero, qui ante Catilium dicebatur, Domitiumque mortuo Vero Cesarè, rursus adoptavit Adrianum Arrium Antonium, qui postea pius dicitur est. eadem lege, ut idem sibi duos adoptaret, Annius Verum, & M. Antonium, teste Spartiano. & Capitolino. Julius Cesar adoptavit Octavianum ex Actia nepotem, cum liber non haberet; eumque heredem Imperii, & fortunarum instituit, ut scribit Dio. Prosequitur deinde Tololanus referre plures Romanorum Leges, quibus prohibebatur, ne quis plures sibi filios arrogaret, nisi divès valde, nec alium liberatum; & alia plura, quæ fuerunt in usu usque ad tempora Longobardorum; hi enim cum certissent regnare in Italia, utebantur in adoptandis filiis propriis legibus, quarum una erat, ut adoptio fieret per detestationem capillorum ejusdem adoptandi, unde Paulus Diaconus *lib. 6. de Gest. Longobard. cap. 15.* scribit: *Carolus Pipini filius, Francorum Rex, filium suum ad Luitprandum Regem Longobardorum misit, ut eius, juxta morem, capillum susciperet; qui ei Cesarium incidens effectus Pater est, multique regni muneribus donatum genitori remisit.* Sed & Reges Francie filiorum Adoptionem in suis populis, & in seipsis admittabant, ut liquet ex eo, quod refertur Triteimus in *Annal. Francor. quòd Clodovei Anno VII. Sigibertus Rex Galliarum in Austrasia filium Dagoberti, Anno Domini 652. adoptavit Hildericum filium Grimaldi Majoris domus, in Filium, & Regni successorem.**

Igitur Cognatio Legalis à Jure gentium ortum habuit, & à Jure Civili Romanorum instaurata est, pluribus Imperatorum Legibus disposita, ac munita circa modum ac formam adoptandi, vel arrogandi filios; quorum adoptione, vel arrogatione eadem Cognatio Legalis gignitur. Porro ipsa effecta est impedimentum dirimens Matrimonium à Jure Canonico; siquidem Nicolaus Papa I. electus Anno 830. approbans Leges Civiles prohibentes fieri Matrimonium inter Adoptantes, ac Adoptatos; decrevit, non posse inter eodèdem validum esse Matrimonium, ut legitur in *cap. Ita diligere 30. quest. 3.* ubi comparando Cognationem Spiritualem cum Legalis, ait, quod in ista non licet Nuptias inter, & multò minùs in illa: *Si ergo (inquit) inter eos non contrahitur Matrimonium, quos Adoptio jungit, quantò potiùs à carnali oportet inter se contraherit cessare, quos per cælestè Sacramentum regeneratio Sancti Spiritus vincit?* Et idem Pontifex in *cap. 1. De Cognat. Legalis* sic dis-

sponit:

ponit: Si qua per Adoptionem mihi soror esse caperit, quamdiu durat Adoptio, inter me, & ipsam nuptia consistere non possunt. Hi sunt textus Juris Canonici firmantes hoc impedimentum Cognationis Legalis, ultra quos non reperitur alius Canon, de ea disponens, quod non tranfit sine admiratione, ut observat Eminen. Cardin. de Lauran d. disput. 29. de Matrimo. num. 43. ubi relatis supradictis verbis Nicolai I. subdit: *Nicolaus, ut videt, per solam approbationem Juris Civilis Cognationis Legalis impedimentum, illud inducit in Ecclesiam. Nec ullus alius Canon, aut rescriptum Pontificium antea de eo loquitur, sed approbatio Nicolai in perpetua consuetudine Ecclesie fuit.* Sed numquid ante Nicolauum I. Papat per octo saecula non fuit in Ecclesia hoc Cognationis Legalis impedimentum dirimens? Dico quod fuit; & ejus Auctor in istem oblingentis annis fuit universalis Ecclesie consuetudo, quae circa hoc impedimentum voluit Jus Civile observare: est autem certum, quod Consuetudo potest inducere Impedimenta dirimentia Matrimonium, ut supra à nobis probatum est Decif. XVIII. num. 20. & 35.

Quo ad Tertium in quo quaeritur, quis possit Adoptare, seu Arrogare? Respondetur, eos omnes, qui frequentia habent requisita, seu qualitates. Prima, si adoptare, vel arrogare cupiens sit Paterfamilias, & sui juris. Sanchez d. libr. 7. disp. 63. num. 3. Trullench libr. 7. cap. 9. num. 5. tom. 2. & Palaus tom. 5. disp. 4. punct. 9. num. 4. Ideo filifamilias, ac servi, qui sunt in aliena potestate, filios sibi adoptare, vel arrogare non possunt. Secunda, ut sit major annorum 25. qui enim minor est, bona sua administrare non valet, & per consequens nec filios, aut nepotes sibi adoptare. Layman d. tr. 10. part. 4. cap. 7. num. 1. Arrogans autem debet esse sexagenarius, ut dictum est supra sub num. 9. nisi ex gratia à Principe dispensetur. Tertia, ut Adoptans, vel Arrogans sit Vir, quia ut dictum est supra num. 10. Muller, eod. quod filios carnales non habet sub potestate, eos adoptare non potest, nisi ex speciali Principis rescripto; quod benigne concedebatur Matri filiorum in bello peremptorum. l. Nam ex femine, ff. De Adopt. ff. Femine. Infi. eod. tit. Haec tamen conditio erit necessaria de Jure civili Romanorum; sed de Jure gentium, & apud exteros populos, apud quos liberum erat etiam feminis filios extraneos sibi adoptare, ut dictum est de filia Pharaonis, & de Adama Caria Regina. Hinc etiam S. Mamantem Martyrem puerulum fuisse adoptatum in filium à pia femina ditissima, ac vidua in Paphlagonia scribit Metaphrastes, & ex eo Surius die 17. Augusti tom. 4. tempore Aureliani Imperatoris, qui assumptus fuit ad Imperium Anno 271. Quarta conditio est, ut Adoptans, vel Arrogans non sit naturaliter impeditus ad generandum filios; quales sunt frigidi, vel maleficiati; ff. Sed ex illud. Infi. de Adopt. Dicitur naturaliter, quia si ex injuria hominum sint inhabiles, ut castrati, vel castitatis amore, et saeculares Religiosi; hi non prohibentur adoptare. Justus d. lib. 2. cap. 6. num. 11. Quinta, ut adoptans, vel arrogans saltem octodecim annis adoptatum excedat, ut sit in tali aetate, in qua ejus Pater etiam secundum naturam esse possit, quia Adoptio naturam imitatur. ff. Minorem natu. Infi. eod. tit. Angelus Verb. Adoptio num. 6. Sexta, ne Adoptans ab alio adoptatum filium adoptet, nisi de consensu prioris adoptantis, & aliorum de illa familia. Massobrius de Consensu Praelud. 7. dub. 20. numer. 74. & 75. Septima est conditio, ut Arrogans cavere debeat de restituendis bonis Arrogati, illius haeredibus legitimis, vel directis, vel substitutis, legatariis, aut fideicommissariis, qui propterea post Arrogati mortem statim agere valent. l. Nec ei. ff. Infi. de Adopt. ff. Cum autem. Infi. eod. tit. Ant. Pichard. ibi in Rubr. n. 8.

9. Octava, quod Pater Arrogator quartam saltem partem suae hereditatis tenebatur relinquere filio Arrogato. l. fm. ff. Si quid in fraud. patr. Pichard. ubi prox. num. 10. Nona tandem est, quod si Adoptaturus, vel Arrogaturus sit Tutor, vel Curator Adoptandi, seu Arrogandi, cum adoptare, sive arrogare non possit, nisi finito Officio tutelae, aut curae; ac redditis rationibus suae administrationis. Bartolus in l. Nec ei. 17. ff. de Adopt. Nicolius Infi. Civil. libr. 1. tit. 11. num. 11.

Quo ad Quartum; in quo desideratur scire, Qui sint effectus Adoptionis? Respondetur cum distinctione. Vel Adoptio facta est ab Avo Paterno, seu materno: Aut facta est ab extraneo. In primo casu parit sex sequentes effectus. 1. Est, quod si pater naturalis adoptati est emancipatus, filius adoptatus definit esse in potestate patris sui naturalis, & transit in potestatem Avi illum adoptantis; adeo ut quidquid deinde acquirat, non Patri naturali, sed Avo, à quo fuit adoptatus, acquirat, & eidem succedit ab intestato; non autem Patri naturali. l. Cum in adoptatis. ff. Si vero. C. de Adopt. 2. Talisque effectus operatur etiamvis Avo adoptans habeat alios filios legitimos, ac naturales. l. l. Cam in adoptatis. 3. Quod Dignitas Senatoria Avi adoptantis transit in ipsum adoptatum, l. Senatoris filium. cum l. seq. ff. l. liberos. ff. De Senatorib. 4. Quod Avo adoptans habet jus corrigendi adoptatum. l. 1. C. De Beneficiis. propr. 5. Quod sic adoptatus sine venia in jus vocare non potest Avum adoptantem. l. Adoptivum. ff. De in Jus vocan. 6. Inter Adoptantem, adoptatum hujusmodi, & alios liberos legitimos, ac naturales Matrimonium iniri non potest. ff. Ergo. Infi. de Nupt. l. Adoptivus 14. ff. de Ritu Nupt. de quo effectu infra differemus. In secundo casu, quando quis adoptat extraneum, cessat primus effectus; nam adoptatus non transit in potestatem adoptantis, sed remanet in potestate Patris naturalis, & huic acquirit, non autem ipsi adoptanti, nec ei succedit, nisi ab intestato deficientibus suis haeredibus. Pichardus eod. tit. de Adopt. in Rubr. Nicolius in tit. de Adopt. num. 2. Alii effectus remanent in suo vigore, quamvis de ultimo circa Impedimentum Matrimonii, cum Adoptio facta est ab extraneo, sit altercatio inter DD. de qua infra num. 26.

Quo ad Quintum. Effectus Arrogationis, (præter sex supradictos, qui nascuntur ex Adoptione etiam in Arrogato) sunt sequentes. 1. Arrogans transit in potestatem Arrogatoris cum omnibus suis bonis, & liberis, si quos habet in potestate: adeo ut ab Arrogatore possit alteri in adoptionem dari. l. Si Paterfamilias. 15. ff. de Adopt. 2. Arrogator succedit ab intestato filio ipsi Arrogato. Nicolius Infi. Civil. libr. 3. tit. 11. num. 41. quod intelligendum esse ait, si Arrogatus decedat ante pubertatem. 3. Arrogatus succedit Arroganti, ne dum ab intestato, sed etiam ex testamento. Et hoc adeo est verum, ut si Arrogator in testamento prætereat Arrogatum, vel eum sine justa causa exheredet, non solum restituenda ipsi Arrogato omnia bona, quae ad Arrogatorem detulit; sed etiam quarta bonorum Arrogatoris; ad quam consequendam habet conditionem ex Lege D. Pii; & eam tranfmittit ad suos haeredes etiam non agnitam, neque petitam. l. Si Arrogator. 22. ff. de Adopt. 4. Arrogans non potest sine causa emancipare Arrogatum, quod si fecerit, & bona sua ei restituerit, & quartam de propriis relinquere debet. Pichard. in Rubr. d. tit. de Adopt. n. 10. 5. Ex Arrogatione insurgit quoddam impedimentum Cognationis Legalis, quod dirimit Matrimonium, de quo infra num. 25.

Unum autem, notatu maximo dignum, est advertendum non solum à Studiosis pro foro interno, sed multo magis ab illis, qui in foro externo, ac contentioso insudant; & est, quod filii Adoptati,

ti, seu Arrogati non comprehenduntur in Jure sub nomine filiorum, nisi speciatim exprimantur. Hinc fit, ut filius adoptivus non admittatur in feudis, cap. 1. §. Si quis. Verb. Adoptivus. tit. Si de feudis defuncti etc. In Usib. feudorum. Item Adoptati, ac Arrogati non admittuntur in bonis fideicommissio subjectis ad excludendum substitutum; ut, si Testator dixerit, si Filius meus decesserit sine liberis, Cajus haeres esto. Certè sine liberis Filius obiiisset dicitur, licet mille Adoptatos, vel Arrogatos reliquerit. l. Fideicommissum. 75. ff. de Condit. & Demonstr. Item in Statutis, in quibus stricta fit interpretatio, nomine filiorum non continentur Adoptivi. arg. l. Liberos. 220. ff. de Verb. Signific. idcoque si stante Statuto filiae per masculos excludantur, non excluduntur per Adoptivos. Ripa in l. Si unquam. C. De Revocand. donat. Nicol. d. tit. de Adopt. §. sed hodie num. 3.

Quo ad Sextum, & Ultimum, in quo flagitur, Quomodo, & inter quas personas Cognatio Legalis impediatur, & dirimat Matrimonium? Pro resolutione Quæriti sciendum est, quod secundum Theologos, & Canonistas, tres sunt species Cognationis Legalis. Una in Linea recta, quasi ascendenti, & descendenti, in qua comprehenduntur Adoptans, Adoptatus, & ejus filii, ac nepotes. Altera in Linea transversali, in qua continentur ipsi Adoptati, & filii naturales, ac legitimi ipsius Adoptantis. Tertia est Linea affinitatis legalis ad similitudinem affinitatis carnalis, & in ea continentur Adoptans, atque Uxor adoptati; ac vice versa Uxor adoptantis, & ipse Adoptatus. Ita S. Thom. in 4. disp. 42. qu. 2. art. 3. in corp. nec non in Addit. 3. p. qu. 57. art. 3. Reginaldus dicit. libr. 31. num. 162. ubi doctè advertit, Cognationem Legalem primæ speciei vocari Paternitatem; secundæ speciei Fratritatem; tertiæ speciei Affinitatem; quod idem docent omnes Theologi, quos citat, & sequitur Sanchez libr. 7. disp. 63. num. 6. Bassilius Pontius libr. 7. cap. 41. a numer. 3. & seqq. Salmanticenses tract. 9. cap. 12. de Matrim. num. 37. doctissimi Massrius in 4. Sentent. disp. 7. num. 472. ac Eminentiſſimus Cardin. de Lauran de Matrim. d. disp. 29. num. 17. His ita prænotatis, respondendo ad Quæsitum dicendum est, quod quælibet ex his speciebus Legalis Cognationis, ex Adoptione, seu Arrogatione proveniens impedit, & dirimit Matrimonium inter personas in istdem tribus Lineis, seu speciebus existentes; non quidem Jure Divino, aut Naturali, aut Civili, sed Jure Ecclesiastico; quæ prædictæ tres species sunt ab Ecclesia approbatæ; & firmatæ pro impedimento dirimente; ac de duabus primis, scilicet in Linea recta, ac transversali loquuntur expressè text. in cap. Per adoptionem. 30. q. 3. & in cap. Unico de Cognat. Legali. De tertiæ vero Linea, seu specie, etiam non habemus textum Canonicum expressum, sufficit illa Rubrica generalis De Cognatione Legalis, qua omnes Legales Cognationes de Jure Civili introductæ censentur comprehensæ, & à Jure Canonico approbatæ; addita potissimum consuetudine immemorabili Ecclesie, quæ prædictas tres species Legalis Cognationis tamquam legitimum Matrimonii impedimentum dirimens cognovit, & approbavit, scientibus, & non contradicentibus Summis Pontificibus, ut ex S. Thoma ubi supra docent Sanchez d. disp. 63. num. 17. Bassilius Pontius d. cap. 41. num. 2. & aliis pluribus citatis Salmanticenses dicit. cap. 12. num. 38. ubi hanc fuisse rationem, adjunt, introducendi hoc impedimentum: nempe ut ad similitudinem Conſanguinitatis, ac Cognationis carnalis servaretur debita reverentia inter Patres Adoptantes, ac filios, nepotesve Adoptatos; & custodiretur castitas inter fratres legitimos naturales, ac adoptivos; quæ ob familiaritatem inter ipsos periclitabatur, nisi fulciretur hoc impedimento Matrimonii

inter illos. Modò tres remanent difficultates solvendæ, circa quas digladiantur DD. in hac Cognatione Legalis.

Prima difficultas est, Utrum hoc impedimentum dirimens proveniat tam ex Adoptione perfecta, quæ proprio nomine vocatur Arrogatio; quàm ex imperfecta, quæ simplici vocabulo contento dicitur Adoptio? In hac difficultate sunt duæ opiniones: Una Thomistarum, afferentium solam Adoptionem perfectam, idest solam Arrogationem producere hoc Legalis Cognationis impedimentum. Altera est Scottistarum doctentium, illud provenire ex utraque Adoptione, sive perfecta, sive imperfecta, idcoque non tantùm ex Arrogatione, sed etiam ex simplici Adoptione. Rationes Thomistarum sunt. 1. Quia Adoptio imperfecta potius est dispositio ad perfectam, idest ad Arrogationem, quàm vera Adoptio. Sed dispositio ad formam non participat veram formam naturam. Ergo simplex, seu imperfecta Adoptio non est impedimentum dirimens; sicut est Arrogatio, seu Adoptio perfecta. 2. Quia hæc Legalis Cognatio introducta est ad similitudinem Cognationis carnalis; nam, ut sæpe supra dictum est, Cognatio Legalis imitatur naturam. Sed natura, atque carnalis Cognatio facit, ut filii, qui per eam nascuntur, sint in potestate parentum, à quibus generantur. Ergo talis effectus est attendendus etiam in Cognatione Legalis; cumque ipse non habeatur nisi in Adoptione perfecta, seu Arrogatione, per quam Arrogatus transit in potestatem Arrogantis; sequitur, quod ex sola Arrogatione, atque Adoptione perfecta producatur Cognatio Legalis, quæ fit impedimentum dirimens Matrimonium. 3. Quia hoc impedimentum Legalis Cognationis introductum est ad evitandum periculum incontinentiæ ob familiaritatem, & continuam habitationem in eadem domo filiorum adoptivorum cum filiis legitimis, & naturalibus Patris adoptantis: Sed hæc cohabitatio, & familiaritas cessat in Adoptione imperfecta; in ea enim adoptati non transeunt in domum, ac potestatem Patris Adoptantis, sed tantùm in Arrogatione, ac Adoptione perfecta. Ergo ex ista solummodo nascitur Cognatio Legalis, quæ impedit, & dirimit Matrimonium. Ex his rationibus hanc opinionem censetur tenere S. Thomas 3. p. q. 57. art. 1. & 2. prout eam tenent Sanchez dicit. libr. 7. disp. 63. num. 9. Perez disp. 30. sect. 2. num. 6. Averla q. 16. sect. 3. & pluribus citatis Salmanticenses d. tract. 9. cap. 12. numer. 41. & ibi Diana part. 4. tract. 4. resol. 120. nec non part. 9. tract. 6. resol. 53. Quæ nunc sunt respositæ, & leguntur in ejus operis Coordinati tom. 2. tract. 6. resol. 250. & resol. 251. in quibus plurimos DD. allegat, opinantes, ex Adoptione imperfecta nullam oriri Cognationem Legalem; & ex ea nullum insurgere impedimentum, nec dirimens, nec impediens.

Scottiæ è contra docent, Cognationem Legalem oriri tam ex Adoptione perfecta, quàm ex imperfecta, & in utraque esse impedimentum dirimens Matrimonium. Eorum rationes sunt. 1. Quia utraque adoptio est vera adoptio, etiam respectu, & comparatione inter se, Arrogatio fit magis perfecta, Adoptio simplex fit minus perfecta, prout puer est verus homo, quamvis in comparatione ad virum sit imperfectus homo. Ergo tam perfecta, quàm imperfecta Adoptio producit Cognationem Legalem, Matrimonium dirimentem. 2. Quia omnia Jura de illa loquentia dicunt absolute quod nascitur ex Adoptione. Ergo sive de perfecta, sive de imperfecta, ubi enim Lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Barbola Axiom. 136. num. 7. 3. Quia hæc est opinio antiquissima Glossæ in cap. Unico. De Cognat. Legali. Verb. Quamvis, circa medium, ubi ita dicit: Tam adoptati, quam arrogati sunt filii adoptivi, sive fratres; & circa finem sic habet: Per decretum.

eratalem istam, que indistincte loquitur de adoptione, non distinguendo inter adoptatum, & arrogatum, hoc idem videtur. 4 Quia idem sentit alia Glossa antiquissima in summa 30. q. 3. dicens: *Legalis Cognatio est, que fit per Arrogationem, vel per Adoptionem.* Ergo oritur ex utraque secundum utramque Glossam.

28 Porro opinio Glossæ in re dubia prevalere debet opinionem contrariæ quorumcumque Doctorum, & eis est anteposenda, ut notabiliter scribit, ac demonstrat Fagnanus in cap. Cum vos. in fin. De Offic. Ordin. tom. 2. pag. 445. & Calcanes conf. 6. num. 5. §. 6. Quare ita tenent, ac docent juxta hanc opinionem omnes Scotistæ, quos Maffius dicit. disp. 7. num. 471. nominat, idest Bassolius, Hiquenz, & alii; ac præter eos, Ricardus, Paludanus, D. Antonius, Sotus, Toletus, Lopez, Angelus, Tabiena, nec non Covarvius 4. Decret. 2. part. cap. 6. §. 5. num. 2. & ex modernis Basilius Pontius lib. 7. cap. 41. num. 2. Rebellius part. 2. lib. 3. de Matrimonio. qu. 7. num. 5. Hurtado de Matrimo. disp. 19. diffie. 2. num. 3. ubi alii allegantur; quibus adhæret Emin. Card. de Laurea dicit. disp. 29. num. 12. & hæc opinio in praxi est amplectenda tanquam magis probabilis, ac magis tuta.

Secunda difficultas est. Quantum temporis duret inter Cognatos Legales hoc impedimentum dirimens Matrimonium? Pro cuius resolutione distinguere oportet, primam, ac tertiam speciem Cognationis Legalis à secunda. Si quidem in prima specie, scilicet inter adoptantem, & adoptatam, prout in tertia, nempe inter Uxorem adoptantis ac adoptatam; si vè inter adoptantem, & Uxorem adoptati, impedimentum hoc est perpetuum, itaut nullo unquam tempore possit inter personas prædictarum specierum esse Matrimonium; quamvis adoptio solveretur per emancipationem filii adoptati, vel per mortem Patris adoptantis. S. Thomas 3. p. q. 57. art. 3. Sanchez libr. 7. disp. 63. num. 34. Basilius Pontius dicit. lib. 7. cap. 41. num. 5. Salmanticenses dicit. cap. 2. num. 42. Maffius dicit. disp. 7. num. 472. & alii plurimi congesti per Barboiam in Collect. DD. ad dicit. cap. Unic. de Cognat. Legali. quibus aditipulatur Emin. Cardin. de Laurea dicit. disp. 29. de Matrimo. num. 44. 45. & 46. Duplex est fundamentum hujus impedimenti perpetui. Unum, quia sic Statutum est à Jure Civili. Ergo non omnes. Instit. de Nupt. l. Quin etiam. 53. ff. de Ritu Nupt. ipsum autem Civile Jus, prout stat, & jacet, approbatum, & confirmatum est circa hanc Matrimoniale prohibitionem à Jure Canonico; ut in dicit. cap. 1. & cap. Per adoptionem. 30. qu. 3. & in cit. cap. Unic. De Cognat. Legal. Alterum, quod eadem prohibitio emanavit ob reverentiam, quæ debet esse inter Adoptatos, ac eorum Parentes Adoptantes, quæ debet esse perpetua. Quo vè ad secundam speciem hujus Cognationis, quæ amplectitur lineam transversalem, id est fratres naturales, ac legitimos, ipsosque fratres adoptivos, hoc impedimentum tandiù durat, quantiù ipsi adoptivi fratres sunt in Potestate Patris adoptantis; idcirco patria ejus potestate soluta, vel per emancipationem, vel per mortem ipsius Patris, possunt idem fratres contrahere inter se Matrimonium; quia tunc cessat inter eos tale impedimentum; unde filia adoptiva, mortuo Patre adoptante, nubere potest filio naturali ejusdem Patris dicit. cap. Unic. De Cognat. legal. cap. Per adoptionem. 30. q. 3. §. Inter eam. Instit. de Nupt. S. Thomas d. qu. 57. art. 3. Sanchez d. lib. 7. disp. 63. num. 27. Basilius Pontius d. lib. 7. cap. 41. num. 5. Salmanticenses d. cap. 12. num. 42. ubi alios citant; & concordant Maffius d. disp. 7. n. 472. & Emin. Card. de Laurea d. disp. 29. à num. 49. & seq. Ratio hujus extincti impedimenti est, quia soluta patria potestate per emancipationem, vel per mortem adoptantis, adoptivus non tenetur amplius cohabitare cum aliis filiis naturalibus

ejusdem adoptantis; & sic cessat periculum inconventientie cum illis.

Tertia difficultas est, Utrum hæc Cognatio Legalis extendatur ad alias personas, præter Patrem Adoptantem, ac Filium Adoptatum, Uxoremque eorum; ac fratres naturales, legitimosque filios respectivè ejusdem adoptantis? Dux sunt Sententiæ. Una est, quod extendatur usque ad quartum gradum in prima specie; & sic ad filios, nepotes, pronepotes, aut pronepes filii adoptati, cum quartum nullo Patre adoptans potest Matrimonium contrahere, prout nec ejus Uxor cum pronepotibus adoptati; ea ratione quia hæc Cognatio Legalis introducta est ad exemplum Carnalis, quæ dirimit usque ad quartum gradum. Ita Card. Toletus lib. 7. cap. 8. num. 4. Navarrus in sum. cap. 22. num. 45. Pontius dicit. cap. 41. n. 3. & alii apud Salmanticenses d. cap. 12. num. 43. Altera Sententiæ est; quod nulla fiat exceptio ultra personas formantes primam, & secundam speciem; idest Patrem, & filium adoptatum, ejusque liberos existentes in potestate ejusdem adoptantis, Uxoremque ejus, ac filium adoptatum, prout Uxorem adoptati respectu Patris adoptantis. Ita Sanchez dicit. disp. 63. num. 34. Aversa quæst. 16. sect. 3. Salmanticenses d. cap. 12. n. 43. ubi alios citant; adjungunt, contrariam rationem non adaptari huic impedimento, aliàs sequeretur, quod etiam in secunda specie, lineaque transversali hoc impedimentum extendere inter fratres naturales legitimos, atque inter adoptivos, eorumque descendentes usque ad quartum gradum, prout fit in Cognatione Carnalis, quod est aperte falsum. Quapropter Cognatio Legalis non extenditur in linea recta, & prima specie nisi ad filium adoptatum, ejusque liberos existentes in potestate adoptantis respectu illius, ac ipsius Uxoris.

Ex his deducunt DD. præcitati, ac iidem Salmanticenses d. cap. 12. num. 44. Primò, quod Cognatio Legalis impedit, & dirimit Matrimonium inter Patrem, ac Matrem adoptantis cum omnibus descendibus à filio adoptato, qui fuerint in eadem potestate Patris adoptantis, juxta l. Si Paterfamilias. ff. de Adoptionib. itaut cum illegitimo tempore possit esse Matrimonium. Secundò, quod è contra Adoptans potest ducere in Uxorem Filium, vel Nepem filii adoptati, si ipsa nunquam fuerit in potestate Patris adoptantis. Tertio multò magis idem Pater adoptans potest intrare Matrimonium cum filia filie adoptatæ, quia ipsa filia adoptata non habebat patriam potestatem in eadem filia. §. Femina. Instit. de Adopt. Quarto filii adoptati, ac filii naturales illegitimi adoptantis possunt inter se nuptias celebrare, quia illegitimi sunt extra patriam potestatem. §. ult. Instit. de Nuptiis. Quinto ipse adoptans potest contrahere Matrimonium ob eandem rationem cum filiabus illegitimis adoptati. Et Sextò deducunt, quod si plures sint filii adoptati ab uno & eodem adoptante, eorumdem Adoptatorum liberi possunt inter se Matrimonium contrahere, quia inter ipsos non extenditur Legalis Cognatio, neque ex ea influrgens dirimens impedimentum. Ita Sanchez d. lib. 7. disp. 63. num. 29. Basilius Pontius d. lib. 7. cap. 41. num. 4. Salmanticenses d. n. 44. & ibi alii DD. novissimè Justus de Dispenfat. Matrim. d. lib. 2. cap. 6. num. 51. & seq. qui sub num. 86. addit, quod raro petitur dispensatio à Papa super hoc impedimento Cognationis Legalis, quia in linea recta, seu in prima, & tertia adoptionis specie Papa non vult dispensare; in secunda vèro specie, seu linea transversali raro venit casus dispensandi; cum vel per emancipationem filii adoptati, vel per mortem Patris adoptantis, cesset Legalis Cognatio inter adoptatum, & inter liberos legitimos, ac naturales ejusdem adoptati.

Ultimò notandum, quod si post contractum Matrimonium

trimonium superveniat inter conjuges Legalis Cognatio, puta si adoptetur Vir conjugatus, cum ipsa conjugè; vel si gener adoptetur à Socero, non impeditur inter eosdem conjuges usus Matrimonii, quia nullo jure hoc cautum reperitur, teste eodem Justo d. lib. 2. cap. 6. num. 88. in fin.

DECISIO XXV.

ARGUMENTUM.

Impedimentum Criminis dirimens Matrimonium exponit hæc Decisio. Illud ab Ecclesia esse introductum demonstrat: idèò Conjugium David cum Bersabea hæc nullitate non laboravit; imò nec hoc Crimine dirimente fuit affectum. Ponuntur quatuor Casus, in quibus patrat hoc Crimen; & recensentur conditiones necessariæ, ut per illud irriteret Matrimonium Historiæ Uxorum adulterantium, ac Viros suos occidentium; punitionesque Divinæ Jultitiæ in eisdem, & alios adulteros.

SUMMARIUM.

- 1 Crimen dirimens Matrimonium cur sic nuncupetur?
- 2 A quo Jure sit introductum?
- 3 David Matrimonium cum Bersabea an fuerit irritum ob hoc impedimentum Criminis?
- 4 Jus naturale an irritet Matrimonium cum hoc crimine inita?
- 5 Jus Ecclesiasticum introduxit impedimentum Criminis.
- 6 In hæles an officiantur impedimento Criminis dirimente?
- 7 Criminis dirimens impedimentum in quatuor Casibus incurritur. Et qui sint isti Casus?
- 8 Crimen dirimens incurritur per homicidium sive per se, sive per alium, de mandato, vel consilio commissum; non per solam ratihabitionem.
- 9 Machinatio unius tantum an faciat incurrere?
- 10 Conditiones novem ad incurrendum impedimentum Criminis dirimens. Et quæ sint?
- 11 Machinatio sine adulterio debet esse de consensu utriusque.
- 12 Maffius dormitavit legendo Aversam; & cur?
- 13 Adulterium cum promissione de futuro Matrimonio, illud dirimit, septem conditionibus concurrentibus. Et quæ sint?
- 14 Conjugati contrahentes aliud Matrimonium incurvunt impedimentum Criminis dirimens inter eosdem.
- 15 Dispenfatio super Crimine obtinenda quæ requiritur?
- 16 Clytemnestra Agamemnonis Uxor adultera, & Viricida.
- 17 Euridice Macedonum Regina Adultera, & Viricida.
- 18 Fabia Romana adultera, & Viricida.
- 19 Mulier adultera filicida.
- 20 Aulteri facies in Demone conversa. Alterius deformitas.
- 21 Aulteri lèculus igneus paratus in Inferno.

bus tantum verba faciemus; ac Crimen, de quo in præsentem, dirimens Matrimonium est Homicidium, ac Adulterium, per antonomasiam nuncupatum Crimen à Sacris Canonibus ob nimiam ejus enormitatem, & injuriam, quam infert tum Matrimoni Sacramento, violans fidelitatem, quam unus conjug alteri debet; tum personis conjugatis per machinationem in mortem alicujus ex ipsis; idcirco quatuor sunt breviter videnda de illo.

1. Quo Jure introductum sit hoc impedimentum dirimens Matrimonium, quod vocatur Crimen?
2. Quot sint Casus, in quibus hoc Crimen committitur?
3. Quæ, & Quot conditiones requirantur in quolibet Casu, ut sit impedimentum dirimens?
4. Quantum Deo displicent prædicta Homicidia, ac Adulteria.

Quo ad Primum. Concorditer docent omnes DD. hoc impedimentum Criminis dirimens Matrimonium neque à Jure Divino, neque à Jure Naturali esse introductum, sed tantum à Jure Ecclesiastico. Non est introductum à Jure Divino, quia nec in novo, nec in veteri Testamento id habetur; nec dum enim in isto, vel in illo Matrimonium dicitur invalidum in hac Crimini suppositione, sed neque illicitum; & nullus assignari potest Sacræ Scripturæ locus, qui de invaliditate hujus Matrimonii loquatur; & quavis 2. Reg. 11. referatur factum Regis David, qui captus amore Bersabeæ Uxoris Uriæ cum ea adulteratus est, deinde homicidium commisit, per interfectionem ejusdem Uriæ, factò Ducis Joab sequutam, & postea ipsam Bersabeam in Uxorem duxit; quod, ut habetur 2. Reg. 11. in fin. Displicuit hoc, quod fecerat David coram Domino; nihilominus nullibi dicitur, quod Matrimonium illud fuerit irritum, & invalidum; imò Math. 1. 6. cum magna observatione notatur, quod Salomon fuit filius David & qua fuit Uriæ, & per consequens fuit filius legitimus, & natus ex Matrimonio valido, qualem decebat auctorem, ac propagatorem futuri Messias, qui ab ipso David, mediante Solomone genito cum Uxore Bersabeæ, ortum duxit; Imò ipse David etiam reus de Adulterio cum eadem Bersabea, & de Homicidio in personam Uriæ Viri ejus commissio, non potest redargui de hoc Crimine impediente, ac dirimente Matrimonium; tum quia copulam carnalem habuit cum muliere illa ex æstu amoris, non etiam cum promissione futuri Matrimonii, quæ (ut infra dicitur) necessaria est in adultero ad incurrendum hoc impedimentum Criminis dirimens; tum etiam quia non fecit occidere Uriam ad hunc finem, & effectum, ut Bersabea sibi nuberet, sed ut consuleret ejus mulieris indemnitati, timens eam occidi à marito; & post Uriæ homicidium, ipsaque Bersabea viduante, resolvit illam sibi sumere in Uxorem ad reparandam ejus famam, & ne ab Hebræis tanquam adultera lapidaretur, ut bene considerat Salomus ad Annum Mundi 2998. num. 29. & Cornelius à Lapide dicit. 2. Reg. 11. Vers. 27. addit ut Regis David delictum fuit quidem grave coram Domino, & scandalosum coram populo; at verè, & propriè non fuit Crimen illud, de quo agimus, & quod dirimit Matrimonium.

Nec fuit inducendum à Jure naturali, quia nec ex primis naturæ principis, neque ex conclusionibus ab eis deductis habetur, adulterantem occidentem conjugem vel dantem fidem adultero, non posse cum eo contrahere Matrimonium, ut argumentatur Eminentiss. Cardin. de Laurea dicit. 33. de Matrim. num. 119. ubi subdit, quod esto, contra legem natura sit machinari homicidium ob quemcumque finem, & violare fidelitatem; tamen scito homicidio, vel violata fidelitate, non dicitur Lex naturæ, nullum esse contractum Matrimonii, seu non posse validè contrahi.

hi, scilicet inter ipsos occisores, seu adulteros, Hinc inter Paganos, & Gentiles, qui Legibus naturæ sunt obstricti, non semel hoc crimen homicidii, seu adulterii commissum fuisse legitur, cum promissione, & executione futuri conjugii inter homicidas, atque adulterantes, absque pœna nullitatis, ut desumitur ex illis carminibus Martialis lib. 6. Epigram. 22.

Quod nubit, Proculina, concubino,
Et machum modo nunc facis Maritum,
Ne Lex Julia te notare possit,
Non nubit, Proculina, sed fateris,
Et alibi idem Poeta:

Machus erat, poterat tamen hoc bene Paula negare,
At Vir est: numquid Paula negare poterat?

Ex Jure itaque Ecclesiastico institutum est hoc dirimens Criminis impedimentum, ut habetur in cap. 13. 1. q. 1. ubi S. Leo Papa, electus ad Pontificatum Anno 440. ita loquitur: Nullus ducat in Matrimonium, quam prius polluit adulterio; & eandem prohibitionem subsequentibus temporibus plura Concilia renovarunt, quorum Canones referuntur ead. 31. qu. 1. deinde id sanxerunt Cœlestinus III. in cap. Laudabilem. De Conversi. Infidel. Alexander III. in cap. Super hoc. De eo, qui duxit &c. in cap. Propositum. Innocentius III. in cap. Significasti. eod. tit. atque Gregorius IX. in cap. Si quis uxore vivente, in fin. eod. tit. ubi proposito casu de fide data ducendi in Uxorem mulierem ab Uxorato post mortem Uxoritis, subdit: Ceterum clerici non debent, si prius, vel postea, dum vixerit Uxor ipsius, illam adulterio polluisse. Hoc autem impedimentum inductum est à Jure Canonico, & ab Ecclesia in favorem Matrimonii, ut fides intacta servetur inter conjuges, & ne unus alterius mortem machinetur; ut docet S. Thomas in 4. dist. 37. qu. 2. art. 2. & in Addit. 3. p. qu. 60. art. 2. Scotus in 4. dist. 35. Eminent. Cardin. de Lauræa d. disput. 33. art. 10. Mastrius in 4. Sent. disp. 7. num. 499. atque Salmanticenses d. tract. 9. cap. 12. de Matrim. num. 45. ubi inferunt quod infideles hoc Crimen committentes non incurunt nullitatem Matrimoniorum, quia cum sint extra Ecclesiam, hoc impedimento dirimente non afficiuntur, nisi tamen in eo committendo concurreret fidelis cum infideli, quia tunc uterque subiaceret nullitati, si simul contraherent, ut advertit Averfa quest. 18. sect. 5. Mastrius numer. 500. & alii DD. apud eisdem Salmanticenses d. cap. 12. num. 64.

Quo ad secundum, in quo queritur Quot sint Casus, in quibus hoc Crimen committitur? Respondetur, quod licet duo tantummodo sint Crimina, quæ faciunt oriri hoc impedimentum dirimens Matrimonium, videlicet Homicidium, & Adulterium; nihilominus hæc duo crimina diversimodè inter se combinata constituunt quatuor casus; in quibus inter prædictos vel homicidas, vel adulteros non potest amplius contrahi Matrimonium; siquidem cum aliis personis, quæ non participarunt in homicidio, vel adulterio (est prohibitum sit inter eosdem homicidas, & adulteros contrahere in pœnam tantorum Criminum) si contrahatur Matrimonium, valide contrahitur, quamvis cum peccato, ut suo loco de Crimine tantum impediendo dicitur. Primus casus est, quando concurrat homicidium conjugis cum adulterio; sive Vir adulter occidat propriam Uxorem, aut interficiat maritum adulteræ; ut cum ea ineat Matrimonium; sive ipsa adultera interimat Maritum suum, aut Uxorem adulteri, ut eidem adultero nubere possit; & de eo loquitur text. in cap. Super hoc. in cap. Significasti. in cap. Propositum. & in cap. Si quis uxore. De eo, qui duxit in Matrimonium, quam polluit adulter. Secundus casus est, quando abique adulterio solum homicidium committitur alterius conjugis, ex mutuo consensu Viri, & femine, qui inter se volunt Matrimonium con-

trahere, hoc animo, & intentione, ut inter se ipsos Matrimonium contrahant; ut habetur in cap. Si quis vivente. 31. quest. 1. & in cap. Laudabilem. De Conversi. Infidel. Tertius Casus est, quando quis adulterium committit vel cum femina uxorata; vel si ipse est uxoratus cum femina libera, cum promissione tamen ut inter se sequatur Matrimonium, quandoquomque sive Uxor mariti adulteri, sive maritus femine adulteræ mortui fuerit, etiam si mors non fuerit ab aliquo ipsorum machinata; ut in cap. Relatum 31. quest. 1. & in cap. Veniens. & in cap. finali. De eo qui duxit in Matrimonium, quam polluit adulter. Quartus casus est, quando unus, vel duo conjugati, non obstante priori Matrimonio, & adhuc vivente eorum primo conjugè, scienter contrahunt adinvicem Matrimonium, & illud consummando adulterium committunt, prout in cap. Ex Literarum. & in cap. Si quis eod. tit. præd. De eo, qui duxit in Matrimonium, isti sunt quatuor casus, in quibus oritur Impedimentum Criminis, quod impedit, & dirimit Matrimonium.

Quo ad Tertium, in quo petitur, Quæ, & quæ conditiones requirantur, in quilibet casu, ut sit Impedimentum dirimens? Quo ad Primum casum occisionis conjugis simul cum adulterio, in primis notandum est, quod Impedimentum hoc incurritur, si vè ipsi adulteri inferant mortem conjugis sui, propriis manibus, sive alterius ministerio, alteri mandantes, vel consulentes, ut occidat, vel eundem occisorem adjuvantes. & contra non incurritur hoc impedimentum, si ipsi adulteri tantummodo occisionem ab altero factam, ipsis inficiis, ratam habeant; etiam si illorum causa facta fuerit; quia rati habitio solum æquiparatur mandato vel in rebus, quæ à propria voluntate pendet, vel in his, quæ à Jure assignantur, ut est percussio Clerici, juxta DD. communem doctrinam, quam memorant Salmanticenses d. cap. 12. num. 46. & 47. ubi ulterius advertunt, circa hunc primum Casum, ad incurrendum hoc Impedimentum Criminis dirimens Matrimonium, necessarium non esse, quod uterque Adulter ad occisionem concurrat, sed satis esse, si unus tantum, altero nesciente, machinetur in mortem conjugis; tum quia Jus Canonicum mentionem facit de adulterio, & homicidio in genere; tum quia uterque cum sit reus adulterii, censetur etiam particeps homicidii; tum etiam quia in hoc differt crimen adulterii, & homicidii simul, ab occisione absque adulterio; quod in ista requiritur expressus consensus utriusque conjugis, ut infra dicemus; in illa verò sufficit consensus etiam unius solum ex adulteris, ut bene probat Sanchez lib. 7. disput. 78. numer. 6. Bonacina de Matrimon. Imped. quest. 3. punct. 6. num. 87. & alii citatis eidem Salmanticenses d. cap. 12. num. 47.

Igitur, ut in prædicto primo casu Impedimentum Criminis Matrimonium dirimens inducatur, requiruntur sequentes novem conditiones. Prima est, quod mors conjugis de facto secuta fuerit; itant non sufficiat, si tantummodo fuerit intentata, vel ordinata, si postea ab aliquam causam fuerit impedita. Secunda est, quod fuerit secuta, non utcumque, sed ex vi percussionalis, violentiæ, vel veneni, aut alia invasione in conjugem occisum facta; quapropter si ex culpa Medicorum, vel ex alio accidenti, sive excessu infirmi mors sequatur, non inducatur hoc impedimentum. Tertia est, quod percussio se moverit jussu, mandato, vel consilio ipsorum aditerantium; nam si proprio motu, aut ad alios extranei instantiam occiderit, adulteri non afficiuntur hoc Impedimento. Quarta est, si ipsi adulteri, non revocaverint jusserint, mandatum, seu consilium ante percussione, quandoquomque enim illud retractassent, & occisori significassent ante delictum commissum, non oriretur hoc Impedimentum, &

vali-

validè possent inter se nubere. Basilius Pontius lib. 7. cap. 45. num. 4. Averfa quest. 18. sect. 4. Sanchez d. lib. 7. disp. 78. num. 5. & Salmanticenses d. cap. 12. n. 48. Quinta conditio est, ut Matrimonium occisi cum adulteris, ac homicidis præcedens fuerit validum; quia si constaret de nullitate Matrimonii conjugis interfecti, possent interfectores validè inter se contrahere. cap. Significasti. De eo, qui duxit. Basilius d. num. 4. Sanchez d. disp. 78. num. 20. & Salmanticenses ibid. num. 49. ubi subdunt, non requiri, quod Matrimonium cum occiso fuerit consummatum; & sufficit, si fuerit ratum, vel si conjugis fuissent separati quoad thorum, & habitationem. cap. Ex Literarum. eod. tit. Sexta est, quod inter occisorem, & adulteram consummatum fuerit adulterium per veram copulam carnalem; idè oscula, tactus, & hujusmodi inhonesti tactus sine copula non producit hoc Criminis impedimentum. DD. præcitant, & Salmanticenses numer. 50. Septima est, quod adulterium sit commissum ante occisionem alterius conjugis; quia si quis conjugem prius occidisset, deinde adulterium cum muliere parasset, ea vidua effecta, poterit validè huic occisori nubere. Basilius d. lib. 7. cap. 45. num. 5. Coninch disp. 31. dub. 5. num. 54. ac ipsemet Salmanticenses d. cap. 12. num. 50. Octava conditio est, ut uterque adulter conficiat sit Matrimonii status, in quo uterque reperitur; quapropter si mulier copulam carnalem habeat cum conjugato, credens eum esse liberum, vel conjugatus coeat cum Uxorata, putans eam esse liberam; quamvis horum alter hunc conjugem occidat, ut cum adultero Matrimonium ineat, validè inibit; quia requiritur in utroque notitia præcedentis conjugii; ea ratione, quia Jura Statuentia hoc impedimentum Criminis dirimens, intendunt evitare, quod adulterium sub spe futuri Matrimonii non sit incentivum machinationis mortis alterius conjugis. cap. 2. capit. Veniens. capit. Propositum. De eo, qui duxit &c. Averfa di. quest. 18. sect. 4. Gutierrez cap. 105. num. 14. & 15. ac alii apud eisdem Salmanticenses num. 51. & 52. ubi addit, altercare DD. qualis debeat esse ignorantia Matrimonii alterius adulteri? & referunt, secundum aliquos esse debere ignorantiam invincibilem; at juxta alios sufficere etiam ignorantiam supinam, & crassam, dummodò non sit cum dolo, prout tenet Sanchez di. lib. 7. disput. 78. num. 38. Rebellus lib. 3. quest. 8. Glossa in l. Magna ignorantia. ff. de Verb. Signif. Nona tandem conditio est, quod occisio conjugis facta fuerit per ipsos adulteros, aut eorum unum hoc animo, sine, & intentione contrahendi Matrimonium cum conjugè vi-duato, vel viduata per mortem occisi; adeo ut si quis occideret maritum alicujus mulieris, ut ea liberius carnaliter uteretur, vel ob inimicitiam ex causis extraneis ortam, possit contrahere validè Matrimonium cum conjugè superstitute ejusdem occisi, ut ex doctrina S. Thomæ in 4. dist. 37. quest. 2. artic. 2. nec non in Addit. 3. part. quest. 60. art. 2. tenent Salmanticenses di. quest. 12. num. 53. & ibi Sanchez di. lib. 7. disput. 78. num. 13. Basilius Pontius eod. lib. 7. cap. 45. num. 5. Averfa quest. 18. sect. 4. Valentia, Bonacina, & alii plures; quibus tamen se opponunt Cardin. Cajetanus in Summ. Verb. Matrimonium cap. 1. Impedim. 5. Petrus Soto l. 9. de Matrimon. Armilla Verb. Matrimonium num. 40. Sed non his, at præcedentibus DD. adhæret Mastrius di. disp. 33. art. 5. quia Sacrorum Canonum mens, in inducendo hoc impedimento dirimente, fuit, ne quis machinetur mortem sui, vel alterius conjugis hoc animo, sine, & intentione contrahendi Matrimonium cum conjugè interfecti, ut latius probant iidem Salmanticenses d. num. 53. & 54. Igitur cessante hoc animo, cessat hoc impedimentum.

Circa secundum Casum, in quo incurritur hoc De Sacram. Matrim.

Criminis impedimentum dirimens absque adulterio, sed ex sola machinatione in mortem conjugis illorum, qui simul volunt Matrimonium inire; requiruntur omnes conditiones in primo casu consideratæ; videlicet, quod mors actualiter sit secuta; quod Matrimonium occisi fuerit validum; & quod hac intentione, & animo homicidium factum sit, ut adinvicem valeant Matrimonium contrahere; præcipue tamen requiritur in hoc secundo casu, quod machinatio procedat ab utroque volente simul Nuptias inire; & quod ex mutuo eorum consensu mors conjugis sequatur, hac intentione, & animo simul contrahendi Matrimonium; ut latè probat Emin. Card. de Lauræa d. disp. 33. art. 4. Siquidem hæc est differentia inter hunc secundum, & primum Casum; non solum, quod in primo unum cum homicidio concurrat adulterium; & in hoc secundo adulterium non committitur; sed etiam quia in primo casu sufficit machinatio mortis facta ab uno tantum, at in hoc secundo opus est, ut machinatio procedat ab utroque, idè à viro, & à muliere, qui volunt deinde simul contrahere nuptias; ut bene advertunt omnes DD. supra allegati, & præsertim Mastrius d. disp. 7. num. 497. his verbis: Secunda conditio ex Bonacina ibidem est, ut Vir, & femina, qui conjugium contrahunt, ambo simul in mortem conjugis conspiraverint; unde si unus illorum machinatus sit mortem absque alterius conspiratione, non contrahit impedimentum dirimens Matrimonium, modo non intercesserit adulterium cum homicidio, ut habetur cap. Super hoc. De eo qui duxit in Matrim.

Ceterum ipse Mastrius d. num. 497. adjungit: Oppositum tamen tenet Averfa quest. 18. sect. 4. ubi ait, non solum, quando ambo concurrunt, & conspirant in necem, ut contrahant, incurrere hoc impedimentum, ne possint contrahere; sed etiam sufficere ex parte machinationem, & intentionem unius, etiam infcio altero; & inquit sic expressè haberi in iure cap. Si quis vivente. 31. qu. 1. qua opinio, ait Mastrius, sibi magis, placet, estis Scotus contrariè inclinet. At pace tanti Viri, non attentè ipse legit Averfam, nec consideravit canonem allegatum; quandoquidem quando Averfa d. q. 18. sect. 4. Vers. Quare docet machinationem unius tantum sufficere, infcio altero, loquitur in primo casu, in quo una cum machinatione concurrat etiam adulterium; at quando non committitur adulterium, sed queritur, an sola machinatio sufficiat ad inducendum hoc impedimentum dirimens, absque adulterio? opus est, consensu mutuo utriusque, qui voluit simul contrahere, in eadem machinatione; itaut si unus tantum machinatus fuerit, possit validè contrahere cum altero infcio ejusdem machinationis, ut expressè concedit Averfa d. q. 18. sect. 4. Vers. Communis tamen Theologorum, Juristarum, ac Summistarum, & vera Sententia est, quando machinatio intercedit ex parte amborum contrahere inter se cupientium, & in necem alterius conjugis conspirantium, solum hæc machinationem sufficere, nec requiri adulterium. Et paulò infra: Quando crimen machinationis intercedit ex parte unius tantum, absque cooperatione, vel consensu alterius; tunc simul etiam dicitur requiri adulterium, ad hoc, ut incurrarur tale impedimentum. Hoc suppletur partè ex iure: quia ubi ponitur crimen machinationis ex una parte tantum, simul apponitur crimen adulterii. cap. Si quis vivente. 31. quest. 1. & hæc est communis Doctorum intelligentia. Hucusque Averfa, qui clarè loquitur juxta aliorum Theologorum doctrinam, quod, ubi non est adulterium, requiritur machinatio amborum Nuptias simul inire volentium; ubi concurrat adulterium, sufficit machinatio unius tantum. Quomodo ergo dicit Mastrius, quod oppositum tenet Averfa? forsam, dum Averfam legerit, voluit verificare diciturum illud:

Quar-

Quandoque bonus dormitat Homerus; vel quod aliquando etiam Viri doctissimi errare consueverunt.

Circa Tertium casum, in quo solum adulterium cum promissione futuri Matrimonii producit Impedimentum Crimini dirimens, hæc sunt conditiones necessariæ. Prima, quod Adulterium fuerit consummatum per actualem copulam. Secunda, quod Matrimonium fuerit validum, & verum inter adulterantem, & conjugem innocentem. Tertia, quod dum committitur adulterium, & sit promissio de futuro Matrimonio, uterque adulterans sciat, Matrimonium existere inter ipsos cum eodem conjugem innocente; quia si crederent se esse liberos, formaliter non adulterarent, & hoc impedimentum non incurrerent. cap. 2. cap. Veniens. De eo, qui duxit Epoc. Quarta, quod habita scientia de alterutro statu conjugali, iterum simul coeat; nam incurrit impedimentum per hanc novam copulam, per quam censetur ratificare præcedentem promissionem de futuro Matrimonio inter se in eundem. Sanchez d. lib. 7. disp. 79. num. 32. & 34. Salmanticenses d. cap. 12. num. 59. Quinta, quod tam adulterium, quam promissio sequatur, vivente adhuc conjugem innocente; nam si eo mortuo vel copula habeatur, vel promissio detur, impedimentum non incurritur. Basilii Pontius lib. 7. cap. 54. num. 2. & alii citati per Salmanticenses d. cap. 12. num. 60. Sexta, quod promissio non fuerit revocata; si enim revocata fuerit, & postea non amplius se carnaliter cognoverint ipsi adulteri, cessat impedimentum, & poterunt simul contrahere; secus vero, si promissio retractata, iterum carnaliter se cognoverint, nam impedimentum reviviscit. Salmanticenses d. num. 60. Septima conditio est, ut ipsa promissio sit verbis, vel signis exterioribus expressa; non autem in corde tantum retenta. Sed utrum debeat esse acceptata? ac etiam ne sit ficta, sed vera? Alii DD. asserunt, oriri impedimentum dirimens; alii negant, quos allegant Salmanticenses num. 61. ubi stant pro negativa, dicentes, promissionem debere esse veram, & non fictam, ad hoc ut gignat impedimentum, & opus esse, ut sit acceptata ab alio adultero. Verum pro utraque opinione refert gravissimos DD. Diana Coordinatus tom. 6. tract. 6. resol. 168. & resol. 169. ibi à Studiofis videndi; & extant in Diana veteri, seu inordinato part. 3. tractat. 4. resol. 197. nec non par. 9. tract. 7. resol. 26.

Circa Quartum Casum, in quo unus, vel duo conjugati non obstante priori Matrimonio de facto contrahunt aliud Matrimonium inter se, vivente primo conjugem; nulla alia conditio requiritur ad incurrendum hoc impedimentum Crimini dirimens, nisi quod sciant, primum, vel primos eorum conjuges esse vivos; & quod de facto procedant ad contrahendum inter se Matrimonium; quia licet nulliter, & invalidè contrahant; attamen in penam tanti usus, & quod attentaverint conjugium inire, redduntur inhabiles, etiam postquam fuerint in statu libero post mortem naturalem priorum conjugum, ad simul contrahendum Matrimonium. cap. Ex Literarum. cap. si quis. eod. tit. De eo, qui duxit. & hoc docent omnes DD. Moralitæ, & Scholastici, quos allegant Salmanticenses d. cap. 12. num. 63. & concordant Masrius d. disp. 7. n. 498. atque Emin. Card. de Lauræa d. disp. 33. art. 7. per totum.

Hæc autem notandum venit, id quod scribit Justus de Dispenfat. Matrim. lib. 1. cap. 4. num. 188. his verbis: Circa dispensationem obtinendam super commissio, seu machinato Crimine, explicari debet, An huiusmodi impedimentum oriatur ex Machinatione, seu Adulterio, vel ex ambobus; si idem Crimen fuisset alia vice patratum, & deinde repetitum de ea sit mentio; alia dispensatio secundo obtenta erit nulla, ac subreptitia, quia Papa non presumitur velle idem

genus criminis pluries remittere. l. Nemo 3. c. de E. p. cap. audient. Et allegat DD. ita sentientes inter quos Sanchez lib. 8. disp. 22. n. 20. Basil. Pontium lib. 8. cap. 17. §. 1. n. 8. in fin. Averfam 4. 19. secl. 5. & alii omnes, Dianam part. 8. tract. 3. resol. 75. quæ nunc reperitur in ejus opere Coordinato tom. 3. tract. 2. resol. 148. ubi alios DD. concordantes cumulat.

Quo ad Quartum, in quo investigandum proponitur, Quantum Deo displicent prædicta homicidia, vel adulteria in propriis conjuges? Talis displicentia offendi potest ex punitione, quam Divina Justitia semper suppedit, ob huiusmodi crimina, prout apparet ex sequentibus historiis, ac exemplis. Prima est Clytemnestra, Tyndari filia, Castoris germanæ, & Helena, Pollucisque Sororis, nata in Urbe Sparta, ac Agamemnonis Mycenarum Regis Uxor, quæ male Viro suo servavit fidem. Hic enim Trojam ad ulciscendam fratris injuriam, ob Helene raptum profectus, totius Græci exercitus summum gerens imperium, dum in expugnanda Troja, pro Græciæ dignitate insudat, à prædicta Clytemnestra Uxore sua magno fuit affectu dedecore; nam ipsa, infans amore capta, cum Egistho Thyestæ filio, Agamemnonis patre, adulterium commisit; ad eoque in adulterium amore exarsit, ut secum converteret de Agamemnone Coniuge occidendo, ut secum Nuptias impundè posset inire. Post expugnationem Trojæ Agamemnon donum triumphans reverens cum captiva Cassandra, quæ in prædæ partitione ei obvenerat, ejusdem sentit vaticinium de infidiis sibi ab Uxore paratis, quibus credere nolens impiè fuit ab Egistho adultero interfecit, & eidem adultero homicidæ adultera nupsit. Sed numquid impundè? Nequaquam: nam non multo post, ab Oreste filio, quem Agamemnon ex impia Coniuge reliquerat, indignam Patris necem ulciscente, Clytemnestra Mater, & Egisthus adulter interempti fuerunt, ut fufius scribit Seneca in Agamemnon. & Euripides in Oreste, de quo Ovidius:

Vindex in Matrem Patris malus ulxor Orestes.

Secunda historia est Euridices, Macedonum Regiæ, Uxor Amynthæ, ac mater Philippi, quæ 17. cuiusdam adulteri desiderio, vitam marito suo auferre veneno tentavit, sed à filia sceleris detecto, tanti flagitii Euridice, ac adulter pœnas luerunt; ut scribit Fulgofius lib. 9. cap. 1. Tertia est Fabia, Fabrii Fabriciani Uxor, quæ dum Petronium 18. Valentium liberali forma adolescentem, quocum adulterii consuetudinem habebat, maxime deperiret, maritum interfecit, ut adultero frueretur securis. Sed paulo post & ipsa infelicitè fuit necata, ut narrat Plutarchus in Parallel. Quarta est, quam ex Jo. Moscho in Prato florido cap. 76. narrat P. Stephanus Menochius in Storis part. 5. centur. 10. cap. 15. de quadam muliere, quæ ut nuberet militi, in cuius amorem exarserat, præter mariti mortem, duos filios suos necaverat, eo quia à milite sibi dictum fuerat, nolle in conjugem sumere alienos filios habentem. Ad post hæc facinora, à milite pro Uxore ob horrorem recufata; ipsa præ desperationè navim ascendit, ut in Africam traiceret. Ex abrupto navis in medio maris remanet immobilis per plures dies, etsi aliæ naves feliciter transigrent. Nauta orans cælestis monitus fuit, ob huius mulieris peccata, hoc prodigium datum; quam in scapham hortatus descendere, statim ac in illam ingressa est mulier ipsa; & scapham, ac mulierem mare in profundum absorbit. Quinta est, quam ex Cantipratino refert Bagatta tom. 2. lib. 2. cap. 3. num. 7. de quadam conjugem adultero, cuius facies in formam horribilis Dæmonis cum cornibus mutata est, itaut omnes non solum homines, sed & jumenta, ac pecudes illum intuentes in fugam præ horrore se præcipites darent. Hæc passus est adul-

adulter ille nonnullis diebus in penam adulterii. Subdit autem Bagatta ibid. Peccatum suum ubi cum mira contritione, & lacrimis esse confessus, larvalis illi confuso detectus est. Et propriam faciem cum sua integritate recepit. Sexta pariter ponitur ab eodem Bagatta à lib. 2. cap. 3. num. 8. ex Joanne Eusebio Nierimbergo his verbis: Legimus in Societate Jesu Literis annis, quemdam ex adulterio perpetrato tantam oris totius deformitatem retulisse, ut refugeretur à familiaribus, & uxore, domoque ab iis arceretur: quod ille prudenter flagitio tribuens, peccatum suum confessus, illud evasis in alterum, & decenti splendore, ac elegantia formosus rei confusus stupescit. Septima continetur in Chronicis S. Dominici, & ex eis desumpta transcribitur à P. Paulo Segnerio 21. in Christ. Instru. part. 3. serm. 26. num. 20. de quadam adultero, cuius Uxor innocens in visione vidit lectulum igneum paratum in inferno pro eodem suo marito, qui ab ipsa admittit, & ab eodem Sancto Dominico adiutus penitentiam egit. Non equidem effugient adulteri impudentes iram Domini, contra quos ipse minatur dicens: Saturavi eos, & maceravi inter. Unusquisque ad Uxorem proximi sui sublebat: nunquid super his non visitabo, dicit Dominus, & in gente tali non ulciscetur Anima mea? Jerem. 3. 7. Plura, digna scitu, disferit idem P. Segnerius d. part. 3. serm. 26. contra magnitudinem huius Crimini adulterii, ibi à Studiofis legenda; ubi concludit cum Apostoli tremendis verbis: 1. Cor. 6. 9. Nolite errare: Adulteri Regnum Dei non possidebunt.

DECISIO XXVI. ARGUMENTUM.

Tractat hæc Decifio de Impedimento Disparitatis Cultus, Matrimonium dirimente. Demonstrat Juribus, Rationibus, Historiis, ac Exemplis, illud provenire non à Jure Naturali, non à Jure Divino, non à Jure Ecclesiastico scripto; sed à Consuetudine per Ecclesiam approbata. Docet, Matrimonium inter Catholicos, & Acatholicos esse quidem illicitum, sed tamen valida. Leonardi Lessii eximii Theologi Sac. Jesu monita Spiritualia septem; & ejus mortis tempus.

SUMMARIUM.

- 1 Matrimonia iniri à fidelibus cum infidelibus illicitum.
- 2 Ea quoque si fiant, sunt irrita, ac invalida.
- 3 Catholicæ mulier nubit baptizato.
- 4 Jus naturale an irritet Matrimonium fidelis cum infideli? Quod sic? rationes quinque.
- 5 Quod non? rationes, ac exempla.
- 6 Rationum contrariarum resolutio.
- 7 Impedimentum disparitatis cultus an procedat à Jure Divino?
- 8 Etsi hæc impugnatio Matrimoniorum cum mulieribus paganis. & numer. 13.
- 9 Mulierum paganarum Viris Catholicis nuptiarum exempla.
- 10 Mulierum Catholicarum, quæ nupservit Viris paganis, exempla.
- 11 Hebræi illicitè, non invalidè contrahabant Matrimonium cum alienigenis.
- 12 Mulieres alienigenæ, si se habant profana, licitè nubebant Hebræis.
- 13 Etsi hæc factum circa conjugia Hebræorum declaratum.
- 14 D. Pauli 2. Cor. 6. 14. verba explicata. De Sacram. Matrim.

- 15 Dispar cultus an dirimat Matrimonium Jure Ecclesiastico?
- 16 Cap. Judæi 28. quæst. 1. declaratum.
- 17 Consuetudo introduxit Impedimentum dirimens disparitatis Cultus.
- 18 Hæretici Matrimonium cum Catholica, & è contra, an validum? & num. 20.
- 19 Consuetudo potest abolere Impedimenta dirimentia.
- 20 Catholica validè nubit Hæretico.
- 21 Can. 72. Synodi Trullana 6. prescriptio.
- 22 Indi, ac Japonæ an officiantur Impedimento disparitatis cultus dirimente?
- 23 Leonardi Lessii monita septem spiritualia; ejusque mortis tempus.

Sequitur exponendum Impedimentum dirimens, quod communi vocabulo nuncupatur Disparitatis Cultus; cujus occasione duo tractant Theologi; Unum videlicet An sit irritum ipso Jure Matrimonium contractum inter Baptizatum, & non baptizatum, idest à Christiano cum Judæo, vel Pagano; aut è converso, à Judæo, vel Pagano cum Christiana? Alterum, an subjaceat eidem nullitati Conjugium fidelis cum Hæretico, seu Apostata à Fide; & è converso? Et de his duobus breviter in præfenti Decifione est agendum, ac pro utriusque explicatione, quatuor sunt examinanda.

1. An hoc Impedimentum Disparitatis Cultus sit introductum à Jure naturali?
2. Vel potius à Jure Divino positivo?
3. Sive à Jure Ecclesiastico? ubi? & quando?
4. An Catholica mulier validè nubat Hæretico, seu Apostata? & è contra?

Quo ad Primum, Præmittere oportet, quod Matrimonium fidelis baptizati cum infideli non baptizato est prorsus illicitum tam Jure naturali, quam Jure Divino; itaut circumscripta prohibitione Ecclesie, & irritatione conjugii, ab hoc impedimento dirimente Disparitatis Cultus causata, peccent mortaliter fideles cum infidelibus contrahentes, nisi ob magnam, ac publicam causam, & cum dispensatione Summi Pontificis id agerent; tum ob periculum perverfionis à fide, cui se exponeret baptizati sic nubentes; tum propter damnum prolis, ad cuius bonam, & rectam educationem in obsequio Dei Matrimonium ordinatur; siquidem difficulter possunt filii vel Patris, vel Matris infidelis in vera fide instrui, & educari, ut differunt Salmanticenses, alios DD. allegantes tract. 9. de Matrim. cap. 12. à num. 66. & seqq. Ulterius est præmittendum, quod huiusmodi conjugia fidelium cum infidelibus, ac baptizati cum non baptizato, non solum sunt illicita, sed etiam ipso Jure nulla, ac invalida; ut probat S. Thomas in 4. dist. 39. quæst. 1. quæst. art. 1. & in Addit. 3. part. quæst. 59. artic. 1. quem universi Theologi, ac Canonistæ sequuntur, illosque refert longa serie Sanchez de Matrim. lib. 7. disp. 71. num. 2. subdens, hæc irritationem intrare etiam si mulier baptizata nuberet Catechumeno juxta text. in cap. Cave 28. quæst. 1. ubi dicitur: Si Christiana sit non est satis; nisi ambo initiati sint Sacramento Baptismati; quo loco Glossa d. Verb. Christiana explicat, idest Catechizata. Querunt igitur DD. an hoc impedimentum dirimens Disparitatis Cultus irritet Matrimonium inire inter fidelem, ac infidelem de Jure naturali? Nonnulli DD. affirmant; Primum, quia id, quod repugnat fini ipsius Matrimonii censetur vetitum, ac prohibitum in Jure naturali, & quo ordinatum est ipsum Matrimonium. Sed finis Matrimonii non solum est prolis generatio; sed ejus bona educatio; quæ fieri non potest, quando uno ex genitoribus sit fidelis, alter vero infidelis; ab isto enim contra Deum filii instruantur, & erroribus imbuti pessimè educabuntur. Ergo Jus naturale instituit, ne fidelis nubat infideli. Secundo, quia